



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vita P. Balthassaris Alvarez, Societatis Iesv Religiosi**

**Puente, Luis de la**

**Coloniae Agrippinae, 1616**

Cap. XVI. Orationis suæ efficacitate Metinæ, & alibi multa fecit in proximos  
admiratione digna

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43347**

S. Tho. 2. 2.  
q. 172. 8. 2.  
ex S. Diony.  
c. 4. de cœ-  
lesti Hierar.

interdum reuelans illi cordium secreta eorum quibuscum agebat, vt eos rectè deduceret: cum reuelationes propheticae fiant per Angelos qui earum personarum custodes erant, res illas quas ad eas spectantes Patri huic reuelabat: quemadmodum in capite sexto est dictum: Interdum etiam futura, & quae à nostra voluntate dependent, illi reuelabat, vt securos eos redderet, quorum intererat, ita euenturas. Horum omnium plura exempla in sequentibus capitulis subiiciuntur.

## CAPVT XVI.

*ORATIONIS SVAE EFFICACITATE METINA, & ALIBI MULTA FECIT IN PROXIMOS ADMIRATIONE DIGNA: TUM MANSUETUDINE MULTORUM CORDIS SECRETORUM; TUM PREDICTIONE RERUM FUTURARUM.*



VAMVIS mutatio Patris Balthassaris ex Abula Metinam, ad alia Collegia praecipue dirigeretur ad spirituales studiorum profectum: eius tamen charitas non alligabatur ad solos domesticos; sed exercebat se etiam ad externos, in quibus notabilem faciebat fructum, duplicibus suis armis, Orationis, scilicet, & sermonum siue Colloquiorum de Deo

Deo, quibus etiam illa adiungebat, quæ Deus illi in bonum animarum reuelabat. horum omnium aliqua referemus insigniora, & primùm quidem, quæ in varia personarum genera effecit, in quibus maximè se prodiderunt præclara eius talenta.

## §. I.

**I**NCIPIENTES autem ab eius Orationis efficacitate: erat hæc præcipuum telum, quo indurata, ac rebellia corda expugnabat, cum eius colloquia, & rationes non sufficiebant; obtinebat enim tunc à Deo earum efficacitatem: ferè enim quidquid memorabile erga proximos siue sæculares, siue Religiosos fecit, suis illud Orationibus impetrauit, nunc quidem solis; nunc adhibita sua industria, ac diligentia, vt in sequentibus exemplis apparebit.

**I**NGRESSVS fuit Collegium nostrum Metinæ secularis quidam, ad spiritualia Societatis exercitia peragenda, eo animi decreto, vt in ea remaneret. Sed Dæmon non dormiens, ægrè hoc ferebat: quare die quarto aggressus est illum adeo graui tentatione redeundi ad sæculum, vt se illi dediderit: ideoque Patri tradenti ipsi exercitia dixit, se velle discedere. Pater ille conatus est multis rationibus illi persuadere, illam esse tentationem Sathanæ, conantis ipsum in propriam perniciem trahere: sed nihil hæc profuerunt. Pater ergò ille rem totam Patri BALTHASSARI, qui Rector tunc erat, aperuit: is ab homine petijt, vt hoc saltem nomine, quod ipse id rogaret,

M ret;

ret, quiesceret illa nocte vsque mane : acquieuit  
 homo ob magnam reuerentiam, quam Patri omnes  
 exhibebant ; timens se à Deo puniendum, nisi  
 quod perebatur præstaret. Vir ergo Sanctus ad  
 commune suum refugium, orationem scilicet, co-  
 fugit : & præmissa ingenti corporis sui verbera-  
 tione, totam noctem consumpsit supplicando  
 Deo Domino nostro, vt tentati, iamque victi ho-  
 minis oculos aperiret, & tentationem remoueret.  
 Exaudiuit eum Deus, attendens quanto seruo-  
 ac fiducia id peteret, & ob serui sui vigilias sub-  
 uenit tentato dormienti. Vidit enim in somnijs  
 crudeles duos viros expectantes illū ad Collegij  
 nostri fores: vt pugionibus ipsum cōfoderēt, truci  
 vultu minitantes, se id facturos, si exiret : & mor-  
 tuū illum ibi relicturos. Exitus ostendit somnium  
 fuisse à Deo, & sancto Angelo eius custode : adde-  
 enim trepidus adeo hūc mutatus fuit, cum excita-  
 retur ; vt anxie expectaret tempus matutinum,  
 vt ad sanctum Patrem BALTHASSAREM  
 accedens, ad eius pedes se prostraret: quod re-  
 ipsa fecit, instantissimè petens, admitti in  
 Societatem : quod, exercitijs absolutis, cum  
 magna animæ eius utilitate fuit factum, &  
 magno cum fructu perseverauit, bene faci-  
 ens alijs multis in suis occupationibus. & ip-  
 semet retulit, quæ iam diximus: rem totam  
 efficacitati tribuens orationis viri huius san-  
 cti.

NEC minus stupendum, quod in eodem Col-  
 legio accidit cuidam Tyroni : qui tentationi de-  
 serendi Societatem, & ad Carthusianos transi-  
 eundi acquieuit, offerente illi Dæmone commo-  
 dam

dam ad id occasionem, ea scilicet mente, vt vtri-  
 usque faceret iacturam. Nam, quadam nocte  
 in ætate, cum portæ domus clauderentur, man-  
 sit ipse in horto; & per murum ascendens exi-  
 uit. Qui constituto tempore cubicula visita-  
 bat, aduertit, Tyronem illum abesse: & su-  
 spicatus, quod esse poterat, accessit Patrem  
 BALTHASSAREM, qui tanquam Pastor  
 bonus pro more suo vigilabat supra gregem su-  
 um. Audiens igitur, quæ Visitator ille di-  
 cebat: ipse statim ad Sacellum beatissimæ Vir-  
 ginis illius Collegij se contulit, & præmissa de  
 more disciplina, pernoctauit in oratione, sup-  
 plex orans Dominum nostrum, & sacratissimam  
 eius matrem, vt errantis ouiculæ misererentur:  
 ne in lupi infernalis dentes eam deuorare, & se-  
 cum ad inferna trahere satagentis, incideret.  
 Fuit hæc oratio adedè efficax, vt non solum ex-  
 audiretur, sed etiam ipsi reuelaretur, Tyro-  
 nem ab illo periculo, quod erat aliàs horren-  
 dum, liberum rediturum. Pauperculus e-  
 nim Nouitius valde anxius properabat, existi-  
 mans aliquem ipsum insequi, & ad singulos  
 passus se deprehendi. cum igitur ad medium  
 itineris peruenisset, cœpit illum vehemens  
 quædam apprehensio turbare, quæ valde il-  
 lum perplexum reddidit, & nescientem quò  
 se verteret: occurrebat enim illi, quod in  
 Monasterio Carthusianorum nomine Ania-  
 go, quò ille pergebat, non essent fidem ad-  
 hibituri eius verbis: si enim interrogarent,  
 vnde veniret, facilè cognoscerent, ipsum fu-  
 gere ex Societate; atque hoc ipso nomine, se

M a non

non esse recipiendum. Redire autem retrò  
 debatur illi valde difficile; in sæculo verò re-  
 manere, valde ignominiosum. Pergebat  
 nihilominus in suo itinere, donec peruenit ad  
 pontem cuiusdam fluminis: & tunc adfuit le-  
 pus infernalis, inhians vt pauperulam animam  
 deuoraret, proponens eius imaginationi  
 exuendam talem perplexitatem, optimum esse  
 remedium, ex ponte se in flumen præcipitare  
 & submergi: vt breui hoc compendio semel  
 se ab omnibus expediret: premente autem  
 eum grauius desperandi tentatione: placuit  
 DEO Domino nostro propter Orationem sancti  
 eius Pastoris, vt in medijs illis tenebris  
 formula quædam lucis illi splenderet, persuaden-  
 tis vt mox ad Societatis Collegium rediret, quæ  
 fore facillimum, quasi cum esset nox, non  
 aduertissent ipsius absentiam; posse autem ip-  
 sum eadem via, quæ exiuerat, redire; & in ho-  
 tello remanere, donec reliquæ Collegij portæ  
 aperirentur; illis autem apertis, posse statim re-  
 tro se conferre, nullo vidente, aut aduertente.  
 Verum hoc illi est adeò facile, cum prius difficilli-  
 mum videretur, vt statuerit redire: & ita omni-  
 nò euenit, vt cogitauerat; aut potius, quemad-  
 modum bonus Angelus ipsi inspirauerat: mansit  
 igitur, cum ille idem, qui eum abesse aduerte-  
 rat, domi illum videret, accessit statim ad fan-  
 ctum Patrem, vt id ei indicaret: qui respondit, se  
 iam id scire, gratias DEO propterea agentem.  
 Post dies aliquot vocans ad se Nouitium, illi  
 retulit, quæcunque sibi euenissent; & impo-  
 sterum perseverauit, mansitque adeò quietus  
 atque

atque si nihil tale sibi euenisset. Ex quo apparet, quanto amore Deus seruum suum hunc prosequeretur: cum non solum ab eo peti ita concederet, sed etiam statim reuelaret, exauditam esse eius orationem, vt eò citius à dolore & sollicitudine liberaretur.

**S**ED adhuc fuit admirabilius quod euenit Patri Francisco Abulensi magno Societatis nostræ Religioso, ( qui profectus cum Classe Diui Martini Padillij in Hyberniam, dum rediret Cluniæ (vulgò Corunia) obiit ) hic, inquam, cum Salmanticæ studeret, essetque iuuenis elegans valde ac strenuus, tempore Quadragesimæ recepit se in Collegium nostrum ( quemadmodum multi alij eo tempore ibidem facere consueuerunt ) ad Confessionem exactius peragendam, & aliquod Orationis Exercitium habendum: nihil tunc cogitans de suscipiendo Satu Religioso. Sed paucos post dies, ex quo se colligere cœperat, magnum ei lumen dedit **D E V S**, quo eius intellectus omninò conuincebatur, expedire sibi, mundo renunciare, & Societatem amplecti, ob multas & graues rationes, quæ illi occurrebant: sed quamuis tantam rationum vim experiretur, voluntas tamen ad eò repugnabat, vt magnas quasi mortis angustias sentiret: ita vt necessarium illi esset, cubiculo exire, vt paululum respiraret, videbatur enim sibi, quasi suffocari. Ad hominem ita afflictum, accessit Pater **B A L T H A S A R**, eumque est consolatus dicens, se rem **D E O** commendaturum? & effecturum, vt alij Domestici idem facerent. Fuit eius oratio

adèd efficax, vt intra breue temporis spatium dederit illi DEVS animum, vt omnes occurrentes difficultates superaret: ideoque decreuit cum ingenti feruore, & lachrymis ingredi Societatem, & perpetuè in ea manere, etiam si maiores essent difficultates deuorandæ. Scitum igitur atque se ad pedes CHRISTI Domini proiecit, & sacrificium hoc sibi obtulit, tantam cordis sui mutationem sensit, vt facillè appareret, illam fuisse dexteræ Excelsi. nullam enim anxietatem, aut angustias; sed maximam sentiebat consolationem, & extraordinarium desiderium, vt in Societatem acciperetur. Redijt Pater BALTHASSAR ad illum visitandum, & cum ipse quod acciderat, retulisset: facie quadam valde serena dixit ei Pater: gratias maximas Deo Domino nostro agas pro accepto tanto beneficio: iam mihi constabat hoc ita futurum; quemadmodum cum a Elias dixit ad patrum suum, vt ascenderet, & prospiceret contra mare, an aliqua nubes ascenderet, iussitque illum reuerti septem vicibus. in septima autem vicibus dixit puer: ecce nubecula parua quasi vestigium hominis ascendit de mari. & tunc Elias ait: ascende, & dic Achab: iunge currum tuum, & descende, ne occupet te pluuia. Et ita factum est. nam cum ille se verteret huc, & que illuc, ecce cæli contenebrati sunt, & factum est pluuia grandis. Ita & ego hoc futurum esse præuidi: quod tibi soli dictum existima, vt secretum serues. Ex quibus verbis licebat conijcere: ipsum sua oratione id à DEO impetrasse.

23. Reg. 18  
43.



sibi que in ea ita fuisse reuelatum. Et idem Pater Franciscus Abulensis hoc, suo scripto confirmavit: & cuidam alteri Patri sibi familiari adiecit, quod postquam ipse in Societatem admitti petiuisset, & Pater BALTHASSAR respondisset, se velle ipsum recipere: Dæmon tentationem repetiisset tam vehementer, vt ipsum poeniteret, petiisse admitti. quare volens exercitia inchoata absque nota deserere, à Patre BALTHASSARE petiisse facultatem exeundi, vt quibusdam suis cognatis valediceret, & negotium quoddam cum eis expediret. Patrem verò ipsi respondisse: discede in nomine Domini: & quemadmodum tu vis tempus accipere, vt cogites, quid sis facturus; & nos illud accipiemus, vt cogitemus, quid nobis expediat. ex quo responso se intellexisse Patrem BALTHASSAREM ipsius cogitationes agnouisse: quare decreuit ipse ibi manere, donec re ipsa fuit in Societatem admissus.

## §. II.

ET HOC alterum fuit, in quo admirandos fecit in animabus fructus, quia scilicet occulta, quæ in cordibus hominum gerebantur, antequam illi ea panderent, ipse cognoscebat, eò quod illa Deus ipsi reuelasset, in eos fines, quos ipse Deus intendebat: cuius rei aliqua valde notabilia exempla subiiciemus. *Primum* fuit Dñi Francisci Reynosi, qui postea fuit Episcopus Cordulensis: Is enim ex Vrbe rediens cum magnis Ecclæstasticis redditibus, voluit se per dies aliquot in

M 4

domum

domum, quam nos tunc Senticæ habebamus, recipere, ad spiritualia Societatis Exercitia facienda; vt melius de suis rebus constitueret, ac de plena sui ipsius reformatione ageret. Petenti autem in hunc finem Patrem aliquem, datus illi est Pater Balthassar, tanquam huius negotij peritus & industrius. Qui cum die quodam post prandium soli essent, coepit Pater, atque si legeret eum cor, dicere ei omnes eius cogitationes, & conuicia, quæ ex Vrbe adferebat, & quidquid intus in ipso gerebatur. Tantum res hæc stuporem attulit bono illi viro, (vt ipsemet postea retulit) vt multis profusis lachrymis totum se Patris manibus traderet, ac de tota vita eius ita constitueret, sicut iudicaret ad maius Dei obsequium futurum. Profecit tantum in Exercitijs circa Orationem & vitæ totius, expensarum, pompæq; huius mundi reformationem: vt omnibus, qui ipsum nouerant, non paruam attulerit ædificationem, etiam cum magna utilitate, & solatio multorum pauperum, quibus liberaliter suis Eleemosynis subueniebat. A quo tempore proficiscebatur interdum Pallanciâ, vbi ipse aliàs habitabat, Villa-Garcâ, vbi Pater Balthassar manebat, ad eadem exercitia renouanda: ex quo insignem animæ fructum percipiebat, admirans ingentia dona, quæ Deus illi Patri contulisset.

IN TER alias Personas, quarum Confessor excipiebat, fuit etiam Diua Helena Quirogæ, Cardinalis D. Gaspari Quirogij Toletani Archiepiscopi ex fratre Neptis, quæ postea facta est Monialis Carmelitana Discalceata; & nixit, mortuaque est sanctissimè. Hæc Domina

duo valde notabilia retulit, quæ cum Patre Balthasare agens sentiebat. Alterum: quod eius verba plus quam aliorum cordi suo infigerentur, illud accenderent, & emollirent, cum magna vilacrymarum. Et semel (inquit) fecit me flere peccata mea centies plus, quam in vita mea defleuissem; id quod per dies aliquot duravit: donec ad ipsum Patrem rediens, rem totam narraui: qui respondit: Deo sit laus, quod aquam ex lapide eduxerimus; & statim est me consolatus. Alterum erat, quod ipsa disceret experientia, se ab eo doceri id, quo anima sua maximè indigeret, quasi aperitissime Pater videret eius necessitates: imò interdum priusquam ipsa necessitatem, qua premebatur, aperiret; conueniens ipse remedium proponebat. Et nominatim cum ipsa valde afflictæ ad eum accederet, statim atque Confessionale ipsum esset ingressa, priusquam vllum verbum loqueretur, rem totam agnouit: primumque eius verbum fuit: Eia Domina, bonum habemus annu, magna erit messis: calamitates cum patientia, grandia bona ferunt. Et alia vice, cum ipsa de sua in oratione ariditate lamentaretur: priusquam illa loqueretur, præuenit Pater dicens: si siccitas bonum adfert annum; bonum hunc habemus; quibus verbis consolationem illa, & animum accepit.

**SIMILIS** quid euenit alteri Dei ancillæ, cui ob insignem virtutem licebat quotidie communicare. hanc, cum die quodam confiteri vellet, fecit expectare per duas horas; & cum ad Confessionale descendisset, ei dixit, quidquid duabus illis horis in eius anima esset actum; quo audito, illa admirata est, & respiravit, benè iudicans col-

locatum laborem in expectando : huiusmodi enim reuelationes Deus facit suis ministris non solum ad eorum opinionem apud alios seruandam : sed etiam ad animandos & consolandos ipsos poenitentes ; & reliquos , qui cum ipso agunt , ut ipsorum ministerijs magis illi proficiant .

D. Anna Henriquez soror Marchionis Alencij Sancto huic Patri valde pie addicta scripsit in quadam charta , quam postea nobis tradidit multa , quae sibi cum eo accidissent : inter alia autem hoc refert : ( quod ab eodem Patre intellexit ) quod , cum Pater Metinae maneret , ipse vero in alio quodam loco , viderit in Spiritu consolationem & afflictionem , qua ipsa premebatur ; & valde instanter orauerit Dominum , ut dignaretur rem ita disponere , ut possent se mutuo videre , ad eam consolandam , pro ut opus habebat . Id quod Deus illi concessit , Nam oratione quaedam occasio , qua illa cum viro suo deberet quoddam iter facere : & quamuis transire per Metinam esset circumire , & ipsa omnino tergeretur foret euitandi circuitus causa : omnes tamen difficultates oratio Patris superauit . Qui cum Confessionem excepit , & ita cum illa est locutus , ut extraordinarium quiddam in ea efficeret ; adeoque repletet consolatione , ut ei diceret , ne quae so verbum vllum amplius mihi dicas Pater : quia non possum amplius ferre . Eadem etiam affirmavit : multa sibi in varijs occasionibus à Patre dicta , quae essent ipsi euentura : & omnia ,

pro ut à Patre fuerant praedicta ,  
sibi euenisse .

\* \*  
\*

## §. III.

**H**OC genus revelationum de rebus futuris fuit alterum, quod omnes admirabantur, & quo magnum faciebat fructum: cuius etiam sunt multa & præclara exempla, quæ in varijs partibus euenerunt. *Primum* fuit Abulæ, cum quadam sua pœnitente, quæ valde anxia ob fui viri absentiam, (qui etiam erat eidem Patri valde piè addictus) de quo diu nihil scire potuisset, accessit, vt Sancto suo Confessario calamitatem suam aperiens, consolationem ab eo acciperet. Ipse audiens eam, & flentem videns, incepit & ipse tenerè cum illa flere: donec attendens, quid faceret, dixit: quam ego consolationem adfero flens cum flente sed cessemus à fletu, benè enim res habebit: nam vir tuus absque dubio hac septimana reuertetur. Et ita est factum: vxor quæ viro retulit, P. Balthassarem id futurum prædixisse: quo illa valde fuit excitata ad magis feruendum Deo, gratias ei agens, quòd talem Confessarium esset sortita. Simile quid euenit eidem viro qui Patri cuidam Societatis (cui post P. Balthassaris ex Abula discessum confitebatur) dixit: ô quam Sanctus vir, Pater ille erat! & quam eius verba cor inflammabant. Semel (inquit) valde desolatus ad eum accessi, eò quòd meo iudicio Socrus mea iam obiisset, & quærebam, qui illam sepeliret: ego verò ingenti dolore afficiebar, quòd illa res quasdam magni momenti ante mortem non declarasset. Pater afflictum consolans dixit: illam necdum obiisse; & superesse adhuc

adhuc tempus, ut res illas declararet, & ita fuit nam verbis illis ego animatus, redij domum, & adhuc viventem inueni: declarauit illa quod ego optabam, & statim quasi vna auicula obiit. Haec retulerunt duo hic afflicti coniuges, ad quorum consolationem reuelauit Deus sancto eorum Confessario, quod in eorum tribulatione esset illis subsidium & leuamen.

QUIDDAM aliud non minus stupendum retulit de se ipso, quidam Societatis Pater, fide omnino dignus, qui dum valde affligeretur, quod se videret iam prouectæ ætatis, sine illis tamen debitis ad proximos iuxta nostrum Institutum uiuandos, sæpius hanc difficultatem & tentationem cum P. Balthassare communicauit: qua nihilominus durante, & ipso non audente ulterius de eadem cum Patre loqui: occurrens tamen eidem quadam die in ipso Collegio, animo valde deiecto dixit ei: Pater, molestia hæc ac difficultas adhuc me vexat, cui P. Balthassar: existimas ne esse in Societate media ad salutem consequendam? quo respondente; esse: replicauit vir Sanctus: non solum saluaberis: sed multos etiam alios iuueris, ut saluentur, & viues in Societate contentus, quo auditoprofus euauit illa tentatio, & verum fuit, quod seruus hic Dei in eius nomine illi dixit. Nam idem Pater fuit postea insignis operarius in Collegio nostro Salmaticensi: in quo, Rectore eodem Patre Balthassare, acciderunt similes alij casus, quos suis locis reddemus.

\* \*  
\*